Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

Reflexio

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

# Reflexio

ostendimus amice Lector, ~~qual~~ qualiter homo christianus dubia circa actus suos, ut licitè agat, deponere queat, ac debeat, Jam non aliud erit, si tantisper discutiamus, qua ratione omnem circa suam salutem dubitationem, seu ut verius dicam, animi fluctuationem sopire valeat.

Licet enim cum timore et tremore iuxta Apostolum nos oporteat nostram operari salutem; at minimè cum inquietudine, fluctuatione, ac animi anxietate; hæc enim hominem à bono opere retardant, ac tandem eò impellunt, ut in pusillanimitatem ac diffidentiam proruens non solum cum conscientia dubia, verùm etiam evidenter erronea operetur.

Ex igitur tibi duo præsidia pro dubiis salutis tuæ fedandis præsentissima, bonorum videlicet exercitatio operum, ac firma fiducia in Deum.

Primum quidem exstitur ex 2da Petri 1. his verbis: Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. item ex illo Rom: 2. gloria autem et honor et pax omni operanti bonum. Vide in Symbolo S. Athanasii dicitur, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam. Pulchrè S. Bernardus sermone ad Cler. Non transeant, inquit, opera nostra, sed

ut videntur, sed temporalia quoqs veluti æternitatis semina iaciuntur; stupebit insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem.

Itaqs dum tempus habemus operemur bonum. nunc sunt dies salutis nunc tempus acceptabile, nunc tempus congregandi, postea erit tempus fruendi: nunc divitias immortales congrega, et ante omnia quæ tuæ sunt salutis cogita. ah de quanto periculo de quam magno timore eripere te valebis, si modo studeas ut quondam coram iusto iudice vacuus non appareas; tunc enim, ait author libri imit: xti, plus valebunt sancta opera tunc plus placebit stricta vita, quam omnis delectatio terrena, tunc plus lætificabit pura et bona conscientia, quam docta philosophia, tunc plus exultabit cara afflicta, quam si in deliciis fuisset semper nutrita. L. 1. c. 24.

† quam multa pulchra verba,

2dum præsidium ad sedandas animi inquietudines perutile deducitur ex illo Jobi 22do acquiesce igitur ei, et habeto pacem, et per hoc habebis fructus optimos. Item ex illo psal. 31 sperantem in Domino misericordia circumdabit. hoc est, proteget illum Deus sua misericordia et ab omni inimicorum infernalium viam salutis obsidentium impetu tuebitur ac tandem ad æterna gaudia perducat. Bonus enim est Dominus timentibus

† 54. Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem justo. Rursus Psal. 36. Revela Domino viam tuam, id est, committe Deo negotium salutis tuæ, et spera in eo: et ipse faciet, id est, perficiet illud. Denique Psalm. 31

eum, et animæ quærenti illum. thren: 3. Suavis Dominus universis: et miserationes eius super omnia opera eius. ps. 144.

22

Ex his ~~modo satis~~ iam liquet, quòd homo suæ salutis cupidus bonorum exercitatione operũ, ac firmâ fiduciâ in Deum, quasi duabus pennis columbæ deargentatæ subvehatur in arcam cœlestem, ~~quare si iis se muniat, non habet, unde circa suam salutem fluctuet, aut anxietur~~; spes eius tam certa sit, quasi res iam perfecta sit ait s. Aug: in psal: 133. Hoc breviter innuit regius Bropheta, dum psal. 36 nos ita adhortatur. spera in Domino et fac bonitatem, et pasceris in divitiis eius: quasi diceret; novi desideria tua, o anima fidelis ~~christiana~~, intelligo vota tua, percipio suspiria, velles dulcibus sponsi tui amplexibus perfrui, ac de torrente voluptatis eius potari, at non potes modò, postea autem poteris, si nunc meis acquiescas monitis. Itaqs spera in Domino spem scilicet tuam Deo comitte, totum te illi resigna, totum te illi da, qui se totum pro te dedit, et fac bonitatem, iustè nimirum, piè, ac sobriè in hoc sæculo vivas, et tunc pasceris in divitiis eius. tunc enim erunt amplexus et oscula, quæ vincunt mellis pocula; tunc satiabitur anima tua, cum apparuerit tibi Dei gloria, Non enim privabit bonis suis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo, qui sperat in te. psal. 83

quibus si munitus fuerit, facilè omnem circa suam salutem fluctuationem aut anxietatem propulsabit;

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST